

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5137

Auteur(s) : Alexandre III [pape]

Bénéficiaire(s) : Martin, Cerisy-la-Forêt, Saint-Vigor (abbé)

Bénéficiaire(s) : Cerisy-la-Forêt, Saint-Vigor (abbaye)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1179, 8 mars

Lieu d'émission : Latran

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Alexandre [III] prend l'abbaye Saint-Pierre et Saint-Vigor de Cerisy sous sa protection et confirme les biens et les droits de ladite abbaye.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Farcy Paul de, *Abbayes de l'évêché de Bayeux*, tome 1, Cerisy, Cordillon, Fontenay, Longues, Laval, Moreau, 1886-1888, p. 89 (traduction française).
- b. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 190, p. 281-284.

Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII*2eéd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 14230, t. 2, p. 404.

Texte établi d'après b

Alexander episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Martino abbati monasterii sancti Petri et sancti Uigoris Cerasii eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem uitam professis in perpetuum. Religiosam uitam etc. Eapropter, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus clementer annuimus et prefatum monasterium, in quo diuino mancipati estis obsequio, cum omnibus pertinentiis suis et libertatibus uniuersis in ius et tutelam beati Petri et sub nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio comunimus. Statuentes, ut quascumque possessiones etc. In quibus hec proprii duximus exprimenda uocabulis: locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus libertatibus et pertinentiis suis, ecclesiam Listreii cum capella de Cormerqueron aliisque pertinentiis suis exceptis et emancipatis omni iure et episcopali consuetudine, ecclesiam sancti Martini de Croae, ecclesiam de Sconet, ecclesiam de Tesseyo, ecclesiam de Formingneio cum capella de Ingnenouilla, ecclesiam de Nouauilla, ecclesiam de Hupenayo cum singulis cuiusque libertatibus et pertinentiis omnibus, ecclesiam sancti Amandi de Horigneyo cum capella sancti Laurencii, ecclesiam de Melfa cum capella sancti Gereboldi, ecclesiam de Couuenis cum capellis suis, ecclesiam de Eloey cum ecclesia de Aneseyo, ecclesiam sancti Laurencii de Parfoterrieu, ecclesiam sancti Raue(n)ni de Traceio, ecclesiam de Longauilla, ecclesiam de Uer

cum singulis cuiusque libertatibus et pertinentiis uniuersis ; in pago Sagiensi ecclesiam sancti Audoeni de Marseyo cum libertatibus et pertinentiis omnibus, ecclesiam sancti Martini de Duobus Gemellis, ecclesiam sancti Laurentii secus mare, ecclesiam sancti Georgii Baiocensis, exemptas et emancipatas omni iure et episcopali consuetudine ; in pago Rothomagensi decimam totius foreste de Leonibus cum capella sancti Pauli et capella de Bello Uidere cum suis pertinentiis et cum tota decima de essartiis predictae foreste ; in pago Constantino obedienciam sancti Fromondi cum omnibus pertinentiis suis ; in Normannia et in Anglia obedienciam sancti Michaelis de Uauuilla cum pertinentiis omnibus, ecclesiam sancti Maculfi cum capella et terris aliisque pertinentiis liberam et absolutam ab omni iure et episcopali consuetudine, salua illa parte decimarum, que ad abbatem sancti Wandregisili contingit, ecclesiam sancti Martini de Fonteneto, ecclesiam Radulfiuille cum singulis cuiusque pertinentiis ; in pago Baiocensi manerium de Leporibus emancipatum omni iure et consuetudine episcopali cum capella sua et cum tertia parte ecclesie de Sirehem suisque omnibus pertinentiis ; in Anglia obedienciam Sirebironie cum ecclesiis suis et pertinentiis uniuersis. Si autem alicuius episcopi molestia pregrauati fueritis sanctamque apostolicam sedem appellaueritis, donec causa uestra ad Romanum deferatur pontificem et ab eo uel de mandato eius terminetur, nulli ulterius episcoporum liceat litem mouere. Priorum uero uestrorum in monasterio et extra in prioratibus sancti Fromondi et sancti Martini de Duobus Gemellis, Uauuille et Sirebournie institutionem et deposicionem penes abbatem esse decernimus. Monachorum et clericorum uestrorum aliquem nullo tempore uel ministorum suorum sine manifesta et rationabili causa et synodali uocatione liceat excommunicare uel ab officio diuino amouere. Statuimus eciam, ut sacerdotes et persone ecclesiarum uestrarum de temporalibus uobis respondeant, diocesanis episcopis de spiritualibus. Ecclesiasticas uero siue seculares personas e seculo fugientes liceat uobis ad conuersionem uestram suscipere et eas absque ullius contradictione in uestro collegio retinere. Cum ecclesie ad ius uestrum pertinentes uacauerint, personas in sacris ordinibus constitutas ad presentacionem uestram episcopi, ad cuius dyocesim spectat, instituent, nisi forte aliquid presentatis obicitur, quod ipsorum institutionem de ratione ualeat impedire. Quod si causa canonica propediente presentatos recipere noluerint, subsidiariis sacerdotibus prescriptas ecclesias ad abbatis et monachorum presentacionem commendabunt, qui utique sacerdotes episcopis de spiritualibus, uobis de temporalibus debeant respondere. Obeunte uero te nunc eiusdem loci abbate uel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet surrepcionis astucia seu uiolencia preponatur, nisi quem fratres communi assensu uel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam prouiderint eligendum, saluo iure et honore ducis Normannie. Porro presbiteris uestris uel clericis archidiaconi nullam poterunt indicare necessitatem, ut eos siue officiales suos hospites suscipiant, nec sub tali occasione ipsis uel clericis uestris diuinum prohibere officium siue iniustis excommunicationibus sub node auxilii fatigare. Prohibemus eciam, ne Baiocensis episcopus pro qualibet culpa abbatis uel monachorum presumat excommunicare uel in monasterio diuinum officium prohibere. Sepulturam quoque cunctis fidelibus ibidem eligendam liberam esse concedimus. Decernimus ergo etc., salua sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur etc. Cunctis autem etc. Amen.

Dat. Lat. per manum Alberti sancte Romane ecclesie presbiteri cardinalis et cancellarii VIII id. marc., indictione XII, incarnationis dominice anno M°.C°.LXXVIII, pontificatus uero domni Alexandri pape III anno XX°.